

EPISTOLA

(X2002495)

Xa  
1458

ad

*Summè Reverendum atq; Excellentissimum*

**DN. JOH. ANDREAM  
SCHMIDIUM,**

S.S. Theol. Doct. Ejusdemque & SS. Antiquitatum  
in florentissimâ JULIA Professore Publ. Ord.

Celeberrimum,

Cœnobii Mariævallis Abbatem

venerabilem,

quâ

*Numum arg. bracteatum*

**GARDOLPHI**

Episcopi olim Halberstad.

ex

CIMELIARCHIO

*Arnstadio - Schwarzburgico*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



BIBLIOTHECA  
PUNICKAVIANA

*In supplementum*

Antiquitatum Sacrarum

*suppediat*

**M. JOH. CHRISTOPH. OLEARIUS;**

Eccles. Arnstad. Diac. & Biblioth.

ARNSTADLÆ, Typis MÄYERIANIS,

B.K.  
436  
19



VIR SUMME REVERENDE ATQVE  
EXCELLENTISSIME,



Aud exigua inter eleganter  
doctos, rei q; præsertim numma-  
riæ cultores hæc us fuit contro-  
versia, cui nimirum numi illi bra-  
teati essent adjudicandi, in qui-  
bus hæc extat Epigraphe: SCTS.  
STEPANVS. IGARDOLLPV. Ex-  
inde variæ proferebantur senten-  
tiæ. Nonnullis legebatur San-  
ctus Stephanus Patronus Gardolebensium, nullis tamen  
additis rationibus. Alii Literas IGARDOLLPV rectius  
explicare putabant, si adderent, quæ forsan per syncopen  
seu abbreviaturam excidissent literas, hunc in modum ex-  
ponentes sensum: Dei Gratia ARDOLLPHVS numum  
huncce in honorem Sancti Stephani cudi voluit. Ardol-  
phus hic aliis dicebatur Arnulphus, incertus quidam Epi-  
scopus, quem Tiara, Pedum, Vestitus & alia in numo indi-  
carent. Hæ & aliæ conjecturæ in explicandis tot elegan-  
tissimis numis huc usque erant approbandæ. Ast, in hiis  
etiam tenebris cœcutientibus nobis magnam attulit lucem  
spendidissimum illud Numophylacium, quod Comes Cel-  
sissimus Schwarzburgicus ANTHON. GUNTHERUS  
Dominus meus Clementissimus Arnstadii possidet & auget.  
In laudatō enim Thesaurō nuperrimè rarissimus repertus  
est

est n  
alius  
Si &  
LVS.  
num  
pos  
re se  
tia  
Pro  
rum

tario  
pol.  
pus, a  
Dus  
mur  
pro  
test  
ger  
num  
ad  
rent  
ipse  
qu  
unde  
rem  
fica  
spl  
cur  
ron  
Bru  
ten  
ele  
Hi  
oli

est numus bracteatus (quem *unicum* tamdiu dicam, donec alius moduli & figuræ ejusdem mihi occurreret) in quò Sancti & Episc. figura cernitur cum hâc Inscriptione: GARDOLVS. DI. GRA. HALBER. S. STEPANVS. Hôc eleganti numo duce & teste reliquos antea dictos facile illustrari posse non sine causa affirmo. Inscriptio enim isthæc tenore sequenti nunc exprimenda venit: *Gardolphus Dei Gratia Halberstadiensium est Episcopus, & Sanctus Stephanus Protomartyr Halberstad. Patronus.* Id quod impræsentiarum ostendere & fusius explicare conabor.

GARDOLPHUS noster à nonnullis *Gerholdus*, à B. Sagittario in Hist. Halberst. *Bertholdus*, à Bruschi & Kranzio Metropol. VII. 26. *Bartoldus*, in numo nostro *Gardolus*, in aliis *Gardoll-  
pius*, à Meibomio in Chron. Marienthal. *Gardolphus*, à Petro de  
Düsburg in Chron. Prusl. nuncupatur *Gardolphus*, quod ultimi-  
mum nomen præ cæteris magis mihi videtur conveniens ac  
probabile, præsertim cum præsens & alii nummi, tanquam  
testes omni exceptione majores idem componere ita, & le-  
gere jubeant. Et certè non infrequens est in bracteatis  
nummis talis vocum corruptio, quâ de re nostra vid. Isag.  
ad Numophyl. Bract. cap III. sect. 4. De Familiâ seu Pa-  
rentibus Gardolphi certum quid dicere, meum non est. Et  
ipse Kranzius l. c. ignoravit ita scribens: Halberstadenfi  
quoque Ecclesiæ præfuit Episcopus nomine *Bartoldus incertum*  
*unde ortus*: Sed nisi præstantem præsumere nemo potest, eâ  
tempestate inter tot rerum turbines conscendisse ad Ponti-  
ficatum: in illa præsertim Ecclesia quæ temporalium rerum  
splendorem non minimum tum habebat &c. Alii autem  
cum Meibomio l. c. ex Harbeccensium Dynastiarum sive Ba-  
ronum gente illustri dicunt oriundum. Decani antea teste  
Bruschio Halberst. munere functus est, Theodorico au-  
tem Halberstad. XIX. Antistite A. C. cto cXCIII. demortuo  
electus successit noster in ordine Episcopus vigesimus,  
Hinc DEI GRATIA Titulo Episcoporum gaudet in numo,  
olim quò non Archiepiscopi solùm, Episcopi & Duces usi  
sunt.

X 2

sunt.

sunt, sed Abbates etiam, Priores, Comites, minimi interdum Magistratus & Legati, teste Spelmanno in Glosf. Arch. Potestatem suam Episcopalem Gardolphus hoc in numo indicat sedens; *Episcopi enim solent pingi & sculpi sedentes, per quod judiciariam eorum potestatem intelligo*, inquit Molanus in Hist. S. Imagg. Lib. IV. c. 29. Idem addit usum Pedi & causam Tiaræ verbis sequentibus: *Mitra Episcopalis* quid significet, indicant verba, quæ in Consecratione dicuntur: Imponimus Domine capiti hujus Antistitis & Agonistæ tui, galeam munitionis & salutis, quatenus decoratâ facie & armatô capite, cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat adversariis veritatis & Te ei largiente gratiam impugnant eorum robustus existat — *Baculus sive Pedum* significat ejus officium & onus Pastorale. Sic enim dicitur Episcopo: Accipe Baculum pastoralis officii & sic in corrigendis vitiis piè sæviens: Judicium sine irâ tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deferens. Habet itaque Episcopale Pedum superius uncum ad trahendum & inferius aculeum ad urgendum, quoniam in utroque strenuum se debet exhibere. Inde versiculi facti:

In Baculi forma Præsul datur hæc tibi norma,

Attrahe per primum, medio rege, punge per imum,

Attrahe peccantes, age justos, punge vagantes,

Attrahe, sustenta, stimula; vaga, morbida, lenta.

Notemus porrò HALBER. voculam esse abbreviatam, eamque innuere, HALBERSTADIENSEM hoc in numo præsentatum esse Episcopum. Simul quoque edocemur, nomen Halberstadii eò etiam tempore ita, sicuti nunc adhuc solenne est, fuisse scriptum, & illos ideò non audiendos, qui Albertistadium, ac si Albertus quidam eandem Urbem condidisset, scribere malunt. Dresserus Millen. VI. Part. II. p. m. 200. tradit, quosdam Halberstad' quasi Alb-Orstad nominare, cum inter Albim & Oram confluentes fluvios Urbs ista sita fuerit. Alii autem Halberstadium quasi Hemi-polin rectius forsan dixerunt, eo quod teste Joh. Ang. Wer-

den

denhagenio de Reb. Publ. Hanseaticis Part. III. cap. VI. vix  
dimidiatam in exactâ edificatione obtinuerit partem, quam primitus con-  
cepta erat.

Literæ sequentes S. STEPANVS. Sanctum designant  
Stephanum Ecclesiæ Halberstad. Patronum, qui in bracteatis nonnullis & aliis monetis Halberstad. dicitur Protomartyr. Quis ille fuerit, ex Apostol. Act. cap. VI. & VII. patet. Nimbium & Palmam illustrat Molanus l.c. Lib. IV. cap. 26, his verbis: Omnes Sancti pinguntur coronati. Iusti enim accipient regnum decoris & diadema Speciei, de manu Domini. Corona autem huiusmodi depingitur in forma scuti rotundi, quia Sancti Dei protectione divina fruuntur. Unde cantant gratulabundi, Domine ut scuto bonæ voluntatis coronastinos, Psal. V. Consuetudo namque fuit Romanis antiquis uti scutis rotundis, & in illis habebant spem victoriæ, vel quando triumphabant, illo met scuto utebantur ut coronati. Et inde sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite, quia de hostibus adepti triumphum, scutum rotundum ad instar Romanorum gerunt in capite pro Corona &c. Palma in manibus Sanctorum pinguntur propter illud Apocal. VII. Et palmæ in manibus eorum, & illud Psalm. XCI. Iustus ut palma florebit. Significant autem Palmæ Victori- am. Erasmus exponens Psalmum, Beatus Vir, Palmeta inquit, Martyribus tribuuntur, quod hæc arbor perpetuò vi- reat, & omnium sola imposito onere sursum nitatur & fructum ferat longe suavissimum. Sanctus Augustinus atten- dit quoque palmæ celsitudinem & rectitudinem: quodque radicem asperam habet in terra, sed comam pulchram sub celo. Hæc mihi de Palmis scribenti incidit controver- sia illa, quam Cl. Dn. Papebrochius, Societ. Jesu Presbyter Vir Industria & Eruditione in rebus sacris insignis adversus menuper Antwerpia excitavit Hic enim cum Operi suo stu- pendo de Actis Sanctorum agens, meam Epistolam de nu- mis bracteatis (quorum plena urna in Nesselrode Eichsfel- dia Vicò infra territorium Heiligenstadiense 1691. effossa) ad Dn. Tenzelium Historiographum Duc. Saxx, celebra-

rimum conscriptam, ad diem XVI. Junii in App. de Ecclesia Heiligenstad. fol. 91. & sqq. inseruisset, addidit singularem planè & minus probabilem opinionem de Palmis illis, quas in manibus Abbatissarum deprehenderam easque virginitatem & victoriam spiritualem denotare rectè dixeram; Ubi contra Cl. Papebrochius Palmam in manibus Abbatissarum & speciatim Agnesæ Abbatissæ Quedlinburg. non solum peregrinationis Hierosolymitanæ ex voto susceptæ, sed etiam Religionis Hierosolymit. Insigne esse suspicatur. Hanc verò rem integram modestè Deo dante propediem peculiari exponere Dissertatione, polliceor, & simul Epistolam meam dabo correctam, quam ferè innumeris atque pudendis mendis conspurcatam Operi laudato addidit Typographus. Interea nostrum observemus Stephanum, in cuius honorem Carolus M. Halberstad. fundavit Ecclesiam, ac amplissima Diœcesi non minus quàm luculentis privilegiis eandem beavit, teste Kranzio Sax. Lib. II. f. m. 37. De laudati Episcopatus Origine, Dedicatione & Translatione pro fictâ habitâ multa Dn. Sagittarius l.c. congeffit. Statum quoque antiquum & præsentem rerum mutatum eruditè notavit Dn. Spenerus Op. Herald. Part. Special. p. 87. 88. Stephani autem Halberstad. Patroni insignis facta est mentio in Diplomate Ludoviciano, ex quò verba nonnulla suppeditante hæc Dn. Sagittario l.c. p. 6. adscribam: Notum sit omnium fidelium Industria, præsentium scil. & futurorum, quia Hildegrinus Catholanicæ Ecclesiæ Halberstadenfis Episcopus venerabilis, quæ est constructa in honorem Christi suiq. Protomartyris Stephani super fluvium Holtemna in Pago Hartingowe, cuius Parochia pii Patris nostri, Caroli Imperatoris Augusti, statuta & determinata est his pagis, Darlingowe, & Nortthuringowe & Belkesheim, Hartingowe, Svavia & Hasingowe, veniens ad nos detulit nobis emunitates sancti genitoris nostri pie semper memorandi, in quibus continebatur, quomodo ipsam sedem sub planissima defensione & emunitatis tuitione semper habuisset &c. Reliquiæ itaque S. Stephani post-

posthæc magno semper honore ibidem atque studio as-  
servabantur, quæ tamen tempore tribulationis maximè no-  
tabili planè nullum attulerunt auxilium. Singularem sanè  
de reliquis hisce historiam notavit Kranzius Sax. Lib. VI.  
f. m. 163. quam verbis ipsius ex parte communicare non pi-  
grabor: Ulricus Halberstad. Episcopus A. C. 1179. Zelo  
dn&us antiquæ perturbationis multa Duci Henrico Leoni  
intentavit incommoda. Excursiones crebræ de Halber-  
stadio deque Præsidio Horeburg in terram Ducis fiebant.  
Dux diu dissimulans iram collegit, demum coacta magna  
suorum manu, misit ut excurrentibus obvii fierent. Non  
longè ab urbe Halberstadio convenerunt, prælium instaura-  
tur. Mox Halberstaden sibus cedentibus hostes portas in-  
gressi sunt urbis, capta per incuriam civitas, portæ clausæ &  
Urbs incensa magna parte exusta est cum primariis Templis  
SS. Stephani, Mariæ, Pauli & Johannis. Episcopus ipse in  
sua domo repertus, igne circumfusus, *tenens reliquias Sancti Ste-  
phani ad sui tutelam captus* abductus cum Remaro præposito  
cognato suo. Victores cum prædâ & captivis plurimis re-  
deunt Brunsvicum. Ubi Dux vidit adductum cygnæo ca-  
pite Pontificem & *reliquias Sancti Stephani quasi in triumpho addu-  
ctas suscitâsq; de Incendio*, demisso vultu lacrymas dedit, huma-  
narum rerum mutationem mente pertractans. Misit autem  
Episcopum in Erteneborg in liberam custodiam &c. conf.  
Chron. Mont. Ser. & Bigaug. Maderi, ad A. C. clv cLXXIX.

Sed redeamus ad Gardolphum nostrum, ejusdem res  
præclarè gestas contemplaturi. Supra nominatus Petrus de  
Dusburg l. c. eundem laudat cum aliis fundatorem & pro-  
motorem ordinis militaris Fratrum Hospitalis S. Mariæ Do-  
mûs Teutonicorû Hierosolymitani, in cujus rei testimonium  
quædam ex ipso verba adducam: In nomine D. mini Amen :  
Anno Incarnationis Christi M CXC tempore illo, quando Civitas Aceo-  
nensis esset à Christianis obsessa & divinâ favente gratiâ de manibus Infide-  
lium recuperata, fuerunt in exercitu Christianorum, quidam devoti homi-  
nes de Bremensi & Lubecensi Civitatibus, qui tanquam Viri Misericordiæ  
oculis compassionum incidentes in diversos & intolerabiles defectus & in-  
commoda infirmorum degentium, in dicto Exercitu, fundaverunt Hospita-  
le.

le, in tentorio suo, facto velo cujusdam navis, dictæ Cocka Teutonice, ubi dictos infir-  
 mos colligentes, ipsis devotè & humiliter serviebant & de bonis sibi à Deo collatis carita-  
 tive procurantes misericorditer pertractabant— Unde tùm Dominus Patriarcha in Hie-  
 rosalem. Henricus Rex Hierusalem illustris— & de Alemannia Conradus Magunti-  
 nensis ArchiEp.— Gardolphus Halberstadiensis Episcopus & Cifensis Episcopus— ocu-  
 lo propitiationis videntes hanc novellam Hospitalis plantationem aliquales fructus hono-  
 ris & honestatis tempestivâ quâdam fecunditate producere— Omnium supra dictorum  
 Consilium in hoc resedit, ut mitterent ad Imperatorem, qui apud Papam Institutionem &  
 Confirmationem Hospitalis præhabiti impetraret &c. Joh. Winnigstadius, Au-  
 gust. Ord. ad S. Joh. prope Halberstad. Monachus, postea Qvedlinbur-  
 gi San-Blasianus Pastor orthodoxus in Chron. suo Episc. Halberst. ver-  
 naculo Idiomate conscripto, de Gardolpho refert, Castelli Hornbur-  
 gensis ab ipso instaurationem fuisse confectam, eoq; loci conditam æ-  
 dem in honorem Mariæ Magdalenzæ; præterea baptisterium marmore-  
 um & campanam majorem Halberstad. cathedrali templo dicasse, nec  
 minus singulare festum quotannis ab universo Clero celebrandum in-  
 stituisse memorat. Idem peregrinationem ejus Barensem & Turonen-  
 sem tangit, qua defunctus Ecclesiam S. Martini reliquiis Turonensibus  
 exornandam condere cœperit. Sed ipso ob dissidia inter Ottonem IV.  
 & Philippum Germaniæ Reges Saxoniam vehementer turbantia in cœ-  
 nobium Kalteborn secedente, Senatus Populusq; Halberstad. Structu-  
 ram Ædis complens, ex eâ prochiale Templum fecit &c. conf. Dn.  
 Sagittarius l.c. Tandem Gardolphus noster, à nonnullis XXII. Jan. A.C.  
 M.CC.II. obiisse dicitur, de quò ut dubitemus facit laudatus Meibomius  
 l.c., qui XX. Aug. A.C. M. CC. I. anno gubernationis suæ nono tradit  
 defunctum. Sed Kranzius Metrop. lib. VII. c. 26. annis septem eundem  
 præfuisse memorat. Halberstadii in Templo cathedrali nonnulli affir-  
 mant Gardolphum sepultum, alii autè Kalteborni, ubi tamen cor solum  
 tumulo conditum ejusq; Obitum Clericos & Laicos acerbius planxisse,  
 Winnigstadius testatur. His allegatis addamus Bruschium, qui Tom. I.  
 de Omn. Germ. Episcop. ita differit: Bartholdus aliis Gardolphus præfuit se-  
 ptem annis, Obiit in Kaldenbornensi cœnobio vicesima prima Augusti Anno Gratiæ 1201.  
 Reversus Halberstadium, honorificè ibidem sepultus. Conf. Cent. XII. Magd. h. l.

Et hæc sunt VIR SUMME REVERENDE, quæ occasione braçæati laudati  
 eumq; explicandi gratia monenda putabam. Singula ferè ad Antiquita-  
 tes spectant Sacras, ideoq; Censuræ TVÆ gravissimæ eadem subicere  
 non erubui, obnixè rogitans, sententiam TVAM de iisdem mecum com-  
 municare, eoq; studia mea uti in aliis, ita in hisce quoq; rebus jucundis  
 atq; utilissimis porro excitare ac promovere, ne dedigneris. Vale.

Dab. Arnstadii IX. Cal. Maj. A. O. R. c. DCC.



EPISTOLA

ad

Summè Reverendum atq; E

DN. JOH. A  
SCHMID

S.S., Theol. Doct., Ejusdemqu

in florentissimâ JULIA Profe

Celeberrimur

Cœnobii Mariævaller

venerabilem

quâ

Numum arg. bra

GARDO

Episcopi olim Ha

ex

CIMELIARCH

Arnstadio - Schv



In supplementu

Antiquitatum Sac

suppeditat

M. JOH. CHRISTOPH

Eccles. Arnstad. Diac. &

ARNSTADTÆ, Typis M

a  
1458

BIBLIOTHEK

BIBLIOTHEK



B.K.  
436  
19.

